

Fecit autem X et VIII eiusdem methalli tholos, superficiei¹⁾ podiorum sparsim infixos, qui ad instar speculi effigiem mentiebantur intuentis. Primorum vero reclinatoria faginee materie compegit tabulis porferetico marmore a foris indutis, delato ab ipsa basilica sancte Romanę sedis, quod et lamminis purissimi auricalci ambiri fecit, claviculisque diligenter affigi. Ipsam etiam stationem sue sedis eodem emblemate decorari voluit. Fecit et binos leunculos opere fusorio, e regione illorum super quos totius tribunalis eminebat fastigium. Supereminens vero eodem crustatum metallo spherulas²⁾ eiusdem generis preferebat. Scabellum pedum, marmor porfreticum. Altaria etiam repperiens lapidea, effecit marmorea. Ipsum quoque ecclesię meridianum³⁾ introitum condolens latericium, post ignis incendium reliquit marmoreum, reverendi abbatis Adaelelmi monasterii sancti Karileffi industria compactum. Unde haec singula perlustrans horis⁴⁾ in competentibus, serio solitum dixisse fertur: 'Urbem latericiam repperi, relinquam⁵⁾ marmoream'. Quod utique fateor fecisset, si in hac luce aliquanto eum manere licuisset. 63. Profecto fama huius nobilissimi Salomonis diffusa pene per totius ambitum orbis, videlicet ex insperata restauratione immo melioratione Floriacensis loci, ad aures Francorum principis Rotberti pervenit, qui instante patris Benedicti sollempnitate ad coenobium veniens, singulaque perlustrans inenarrabilique leticia congratulans usque ad lacrimarum est gavisus inundationem⁶⁾ collatoque uno haud contemptibilis precii pallio, piumque vale impetratus ad propria regreditur.

64. Igitur anno dominice incarnationis millesimo vigesimo septimo, indictione decima, infra biennium conflagrationis templi, universa in meliorem statum sunt reformata cum beati Petri, ut prelibatum est, basilica.

Sane ipsum propiciatorium gloriose virginis Marię, quam specialius semper devoto prosequeretur corde, lapideo postmodum venustavit fornice, cuius superficiem musivi ornasset scemate, si Deus omnipotens ei contulisset spatia prolixioris vite; namque pro huiusmodi re ad partes direxerat Romanę, opificemque huius operis proximo prestolabatur tempore. O virum pietate insignem, caritate mirabilem, cui vivere Christus fuit et mori lucrum!

65. Eadem tempestate allate sunt illi litterę a prefato principe Neustrię textum habentes huiusmodi forme⁷⁾: Robertus, nutu Dei, Francorum rex, Gauzolino⁸⁾ presuli Bituricensium, salutem. Volo vos scire mei animi motum qualiter se habet, ut forte accidere solet cum

1) So verbessert der Corrector aus: superfaciei. 2) Hs.: sperulas.

3) Meridianum ist von späterer Hand nachcorrigirt. 4) Hs.: oris.

5) So verbessert der Corrector aus: relinquo. 6) Hs.: inundationum.

7) Auch unter Fulberts Briefen; bei Bouquet, X, 495 (Delisle). 8) Hs.: Gaulino.